



Dispvtaiones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio X. Quomodo Deus cognoscit seipsum & possibilia extra se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

intelligentia est illimitata; debet vtramque veritatem cognoscere: istam, scientiam absolutam; illam, scientiam conditionatam, independentem ab eo, quod ponatur absolute consensus, aut non ponatur. Quod vero addit Adversarius, scientiam conditionatam, iuxta nostram doctrinam, nullum supponere decretum Dei, ideoque per illam nullum futurum contingens posse cognosci, neque absolutum, neque conditionatum; quia nihil futurum, presens, aut preteritum esse potest sine aliquo Dei decreto absoluto, aut conditionato. Hoc, inquam, dictum ab illo est ex mala intelligentia doctrinam, quam impugnat, in quod vitium sepius incidit toto illo libro de ordine. Contra enim, expressè dicimus, cum Suarez, & aliis scientiam media assertoribus, scientiam conditionatam futurorum contingentium supponere Dei decretum conditionatum de causis liberis producendis, & concursu illis exhibendo, aut offerendo ad operandum; aut de non impediendo ne liberè operentur. Tamen non supponit decretum Dei absolute positum, aut ponendum. In quo differat à scientia absoluta visioni futurorum contingentium. Nihil enim futurum est absolute vi liberi arbitrii creatum, nisi Deo volente aut permitte; nihilque sub quacunque conditione futurum esset vi eiusdem, nisi

si Deus vellet, aut permitteret.

Sepius etiam inculcat idem autem per illationem significatam per particulam, Si, in propositionibus conditionatis, non esse à parte rei, sed solum in mente nostra, esseque opus, & negotium intellectus nostri. Sed nos quæ sepius iam ostendimus particulam, Si, in propositionibus conditionatis, de quibus disputamus, quæque sunt obiectum scientiam media, non significare illationem, seu eventum; qui esset posita tali occasione. Esset autem eventus à parte rei extra mentem nostram. Ex. g. peccaret Petrus si ad tale peccatum sollicitaretur, & Christum in tormentis negaret: vel è contrario, tormenta superaret cum Dei gratia. Addo in propositionibus significantibus illationem, *Vis sol lucet, dies est; si mater est, diligit filium*: quamvis illatio formalis non sit extra mentem; sitque opus intellectus nostri: tamen à parte rei esse vel identitatem, vel connexionem inter ea, quorum vnum ex alio inferitur, si est bona illatio. Est enim idem à parte rei, Solem lucere in hemisphærio, & diem esse: & naturalis est connexio inter esse matrem, & diligere filium. Neque potest rationabiliter dubitari omnem huiusmodi identitatem, aut connexionem esse Deo notam. Quare de illis non est sermo, cum disputatur de scientia media.

Scientia media supponit decretum conditionatum.

DISPUTATIO DECIMA

Quomodo Deus cognoscat seipsum, &
possibilia extra se?

- § Sectio I. Vera sententia proponitur, & confirmatur.
- § Sectio II. Refutatur prima opinio contraria.
- § Sectio III. Refellitur secunda opinio contraria.
- § Sectio IV. Referuntur, & impugnantur alia duo sententia, & opines.
- § Sectio V. Respondetur argumentis quorundam Recentiorum.

DIFFICULTATEM propositam in tit. huius Disputationis attingit breuiter S. Thomas qu. 14. ar. 2. 5. & 6. In quibus docet Primò, Deum se intelligere per seipsum, & non per speciem intelligibilem à se distinctam: quia cum sit actus purus, est ubi per seipsum sufficiens ad intelligendum: adeo ut specie intelligibilis sit ipsemet intellectus diuinus: & intellectus sit ipsemet Deus. Secundo, Deum videre seipsum in seipso: quia seipsum videt per essentiam suam. Alia vero à se videre, non in ipsis, sed in seipsis: in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso: & in quantum cognoscens perfectè suam virtutè, cognoscit consequenter ea omnia, ad quæ illa se extendit, id est, quæcumque possunt ab illa fieri tanquam à prima causa effectiua omnium entium, in qua velut intelligente principio cætera continentur. Tertio, Deum cognoscere alia à se, non in communi tantum, quatenus sunt entia: quod est cognoscere imperfectè: sed cognitione propria & distincta, attingendo vnuquodque

VINTINO
TUS
I^m part
VI
U.

secundū id quod est, & prout à quolibet alio distinguitur. Quia cum essentia Dei habeat in se quicquid perfectionis habet essentia cuiuscūq; rei alterius, & adhuc amplius: Deus in seipso potest omnia propria cognitionē cognoscere, vt re ipsa cognoscit. Hucusque D. Thom.

SECTIO I.

Vera sententia proponitur, & confirmatur.



Vt hucusq; diximus præcedenti disp. de scientia Dei, pertinent ad illius obiectum. Iam de modo intelligendi dicendum est: ac primò quomodo intelligat Deus seipsum, & possibilia? Difficultas autem præcipua in eo consistit, an Deus seipsum tantum directè, & immediatè cognoscat, possibilia verò non nisi mediatè in seipso præcognito? Respondeo, Deum tam seipsum, quàm possibilia, & immediatè, & mediatè cognoscere.

Deus cognoscit immediatè possibilia

Prima responsi pars de cognitione immediata probatur: quia omnis perfectio simpliciter simplex est Deo tribuenda. Sed cognoscere Deum & possibilia immediatè cum certitudine, est perfectio simpliciter simplex. Ergo Deo tribuenda. Maior propositio patet ex infinitate, & illimitatione essentia diuina, & speciatim intelligentia talis, vt comprehendat in vno actu simplicissimo realiter omnem simplicem perfectionem scientia. Minor verò probatur primò, quia habere tantam intelligendi vim, vt sublato quouis medio, si per impossibile tolli posset, tamen vi luminis intellectus, Deum, & possibilia euidenter attingeret, perfectio intellectus supplente medij defectum, est euidenter perfectio simplex. Nam & est valde nobile, vt patet: & non repugnat alteri perfectioni meliori, aut aequali. Cui enim? At qui hoc ipsum est cognoscere immediatè. Ergo &c. Secundò, si cognoscere intuituè, & directè omnia existentia, magna perfectio est, quia ad attingere euidenter tot res in seipsis sine medio: quàm magis attingere directè, & immediatè omnia possibilia, eo solo quòd sunt possibilia, id est, quòd verum est posse illa existere, & fieri à Deo? Ac si excellens, & mirabilis est perfectio intellectus diuini, quòd attingat in seipsis immediatè in fallibiliter, & euidenter omnia futura libera, siue absoluta, siue conditionata, ideo solùm quia futura sunt, vel essent conditione posita: magna quoque est, & mirabilis Dei perfectio, attingere euidenter in seipsis omnia possibilia, eo præcisè & immediatè quòd sunt possibilia, id est, quòd possunt esse. Tertid, si per impossibile desset medium cognoscendi possibilia: tamen supposita eorum veritate, intellectus illimitatus, qualis est diuinus, deberet illam attingere præcisè ex infinitate, & illimitatione in genere intellectio- nis. Ergo attingeret immediatè. Quòd verò sine etiam media, quæ ducit ad eandem veritate, non potest id priuare Deum perfectione

illa cognitionis immediatæ. Sicut qui haberet omnem perfectionem scientia humanæ, licet v. g. iciret totum esse maius sua parte per medium, putà per commensurationem, tamen non propterea deberet destitui scientia immediatà, quæ id per se vi terminorum cognosceret. Quartò, nulla vis creata est ex se sola instructor ad veritatem, vel vnicam, euidenter sciendam: quàm Deus ad omnem: vt patet ex infinitate diuina superante infinites, in ordine ad obiectum adæquatum, quamlibet perfectionem intelligendi creatam vel ad vnicam. At qui vis creata est completa sine medio, ad multa enunciabilia, vt ad prima principia: Ergo &c. Quintò, sicut potentia productiua per creationem Deo tribuitur ad omnia, quæ non implicat specialiter creari; quia sic magis amplificatur diuina potentia, quæ sit totalis radix effectus sine concausa, ita amplificatur diuina vis intelligendi, si suppleat omne medium, vbi aliunde non est implicatio. Sextò denique, Deus cognoscit primò contingentia libera directè, & immediatè in seipsis: quia nullum est medium antecedens, ex quo certò, & infallibiliter sciri possint, saltem omnia, vt sequenti disputatione probabitur. Ergo non implicat aliquid creatum cognosci à Deo immediatè. Iam verò infinitas intellectus diuini non est minùs completa ad obiectum necessarium, quàm ad contingens: & ex parte obiecti, illud non minùs verum est, nec minùs immediatè cognoscibile, quàm contingens: Ergo &c.

Secunda pars responsi, quòd scilicet Deus seipsum, & possibilia, etiam mediatè cognoscat: Probatur, supponendo prius cognitionem mediata illam dici, quæ sit per medium cognitionis, id est, aliquo alio mediante, quo præsupposito, ac prius saltem ratione præcognito prioritate a quo, cognoscitur aliud propter aliquam eius cum illo connexionem: sicut per præmissas conclusionem cognoscimus, per imaginem, prototypum, per signum, res significatas: Causas per effectus, aut effectus per causas. Non est autem necesse vtrumque actu diuerso attingi. Imò licet materiale antecedens, aut signum, possit actu distincto prius tempore, vel natura cognosci, quàm consequens, aut significatum: impossibile tamen est cognosci formaliter antecedens, & vñ signum: quin cognoscatur eodem actu id, cuius respectu antecedens aut signum esse dicitur. Et vice versa impossibile est cognosci consequens vt consequens, & significatum vt significatum, quin eodem actu attingantur ea, quòrum respectu talia sunt. Ratio est, quia implicat actum ferri in aliquid vt connexum cum medio, quin formaliter feratur in medium

Cognitio mediata quid sit?

Non requiritur necessario diuersitas actuum.

cuius conexum est: Neque enim conexio sine extrinsecis, neque conexum formaliter, ut tale, concipi potest sine cognitione alterius, concepti eodem actu quo concipitur conexum ut tale formaliter. Nam actus qui caderet tantum & absolute in vnum extremum, non cognosceret illud ut conexum cum altero. Cumque conexio, qua talis, inuoluat vtrumque extremum connexionis; non potest villo actu attingi prout est conexio, quin concipiatur vtrumque extremum: quia implicat rem concipi ut talem, non conceptis illis qua inuoluit ut talis est. Et in vniuersum nihil sub vlla ratione potest concipi, quin eo conceptu attingantur omnia qua includit, vel importat ratio talis, formaliter ut talis. Atqui antecedens, ut tale formaliter, est conexum cum consequente: & vice versa consequens cum antecedente: & signum cum re significata: & generatum omne medium, cum eo cuius est: ergo ex eo capite non repugnet Deo cognitio mediata circa se & possibilis, quasi requirat multitudinem realem cognitionum, qua in Deo non est, nec esse potest.

4
Deus cognoscit mediatè seipsum & possibilis.

Tam quod ex alio capite non repugnet, imò aperte si conueniat, probatur, quia quisquis sic penetrat obiectum aliquid, ut cognoscat in illo immediatè cognito esse connexionem necessariam cum alio tertio, ita ut ex vi illius asserti videat sequi necessariò tertium; imò ita perfectè illud cognoscit, ut si per impossibile tale tertium aliunde non cognosceret, tamen vi penetrationis alterius, cui conexum est, sciret euidenssimè illud tertium; talis inquam habet assensum mediatum circa illud tertium, per aliud immediatè cognitum, inquam per medium. Sed Deus ita se habet circa seipsum, & circa possibilis, multiplici respectu: ergo &c. Maior patet ex definitione cognitionis mediatæ. Minor autem probatur. Primò enim Deus comprehendens suam omnipotentiam, ut radicem positivam omnium possibilium secundum omnes eorum differentias, videt in illa connexionem cum possibilibus, & consequenter cognoscit omnia possibilis in ipsa, ut radice. Similiter comprehendens intellectionem suam, qua perfectissimè repræsentat omnia possibilis secundum proprias cuiusque rationes, agnoscit in illa, & per illam, ut per medium, omnia possibilis que sunt in illa vitaliter expressa. Item cognoscens perfectissimè volitionem suam, qua positivè tendit ad omnia possibilis, cognoscit eadem ut cum actu illo essentiali voluntatis suæ conexa. Et vice versa, cum omnia possibilis habeant ordinem essentialem ad Deum, ut ad radicem positivam possibilitatis suæ, & ut ipso essentialiter pendentia; necesse est creaturis possibilibus Deum mediatè cognoscere à seipso, vi connexionis & dependentiæ illius, quam perfectissimè & comprehensivè cognoscit. Similiter Deus non potest comprehendere potentiam creaturæ tam agendi, cognoscendi, fingendi, faciendi &c. quin co-

gnoscat omnem terminum: nec creaturas cum aliis connexas, ut reuelatas cum reuelatis, causas cum effectis; quin vi talis cognitionis comprehensivæ cognoscat ea qua connexa sunt: cum in his & similibus sit vinculum necessariæ connexionis cum aliis, à priori, vel à posteriori. Præterea omne enunciabile verè à creatura, cognoscitur assertivè à Deo, quippe qui novit assertivè omnia verè enunciabilia, ut rectè ait D. Thom. qu. 14. art. 14. Atqui in talibus mediis esse semina aliorum connexorum, & fundamentum ea inferendi, verè asseritur: ergo id à Deo cognoscitur. At in hoc est assensus mediatæ, & cognitio vnius in alio: ergo &c.

Sic ergo Deus cognoscit connexionem eclipsis solaris, cum in dispositione Lunæ inter Solem & terram: & risibilitatis cum rationabilitate: & antecedentium cum consequentibus: & denique omnem vim qua aliquid infert aliud quocumque modo: omnia tamen clarissimè & perfectissimè, sine obscuritate, vel formidine, aut similibus imperfectionibus: & quicquid denique veritatis & perfectionis in discursu est, id totum est in cognitione divina; quamvis in illa non sit discursus physicus, neque secundum successione, neque secundum realem causalitatem & propriam, ut tradit S. Thom. qu. 14. a. 7. in corp. quia scilicet non est in ea multitudo realis cognitionum, quarum vna realiter alteri succedat, quod est discurrere successivè: vel etià aliam causet, quod est discurrere causaliter, realiter & propriè, siue causalitas illa sit physica in genere causæ efficientis, & aliqui putant: siue potius in genere causæ materialis & dispositivæ, aut etiam efficientis morali quodam modo, quatenus cognitio præmissarum impellit & determinat intellectum ad assensum conclusionis.

D. Thom.

Deus habet quæ quid est perfectionis in discursu.

SECTIO II.

Refutatio prima opin. contrariæ.

6
Prius sententia quæque argumenta contra scientiam immediatam possibilis.

CONtra id quod diximus Deum cognoscere creaturas immediatè, opinatur Suares lib. 3. de attributis cap. 2. ubi negat possibilis cognoscere à Deo immediatè, aut in alio medio quàm in essentia divina. Argumenta eius hæc sunt. Primum: quia Divus Thom. ubi cunctis de hac scientia disputat, non aliter eam exponit, quàm ut Suares intendit. Respondet id non verè assumi. Licet enim a. 5. q. 14. dicat possibilis cognosci à Deo in divina essentia ut in causa comprehensivè cognita: & Deum quidè videre seipsum in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam: alia verò à se videre non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso: Alibi tamen alium modum cognoscendi non obscure tradit. Nam art. 13. qu. citata, ait Deum scire contingentia non in causis dütaxat, in quibus possunt coniecturaliter tantum cognosci: sed in seipsis certè & infallibiliter. Vbi vides ex mente D. Thomæ

Deum habere aliquam immediatam scientiam creaturarum. Et art. 7. eiusdem quaest. in solutione tertij argum. ait Deum, multo melius quam nos, cognoscere effectus creaturarum in creaturis ipsis, ut in causis. Quod idem docet lib. 1. contra gent. c. 50. Quia, inquit, cognita causa, cognoscitur eius effectus. Quicquid igitur est in quacumque re, potest cognosci, cognito Deo, & omnibus causis mediis, quae sunt inter Deum & res. Indéque probat Deum cognoscere omnia quae sunt extra ipsum: quia Deus seipsum cognoscit, & omnes causas medias, quae sunt inter ipsum, & rem quamlibet. Vbi vide ex D. Thoma scientiam divinam nitentiam medio creato. Itaque iuxta illius doctrinam Deus cognoscit creaturas non solum in seipso, verum etiam in earum causis: imo & in seipsis, ut expréssé D. Thom. affirmat de contingentibus, loco prius citato, & par est ratio de possibiliibus, quae non minus sunt in seipsis vera, & cognoscibilia, neque magis Deum dedecet illa immediatè in seipsis cognoscere.

Secundum argumentum Suarez est, quia Deum cognoscere hoc modo creaturas in seipso, non implicat contradictionem: & alioqui est perfectissimus modus omnium qui possunt excogitari. Ergo Deo tribuendus, respondeo, esto totum, non tamen alius immediatus ideo negandus est Deo: nec ille solus tam est perfectus, quam aggregatum ex utroque, mediato & immediato, qui posterior sine imperfectione & limitatione intelligentiae divina Deo negari nequit.

Instat ratio, quia non oportet in Deo multiplicare scientias etiam ratione, sine necessitate, quae hic non est: quia illa duplex scientia, mediata & immediata, non sequitur ex perfectione Dei, neque ponit in Deo perfectionem simpliciter. Respondeo, oppositum in probat, ne primae partis responsi Suarez ostensum fuisse. Ad id verò quod addit Suarez, scientiam immediatam creaturarum non esse omnimodè perfectam, & comprehensionem illarum, secundum omnem effectum & capacitatem, quam habent, tam naturalem, quam obedientialem: & rationem scientiam dicere solere habitudinem transcendentalem ad obiectum suum, & ab illo speciem vel rationem aliquo modo sumere. Respondeo, scientiam illam in suo genere perfectissimam esse, atque etiam comprehensionem, si attingit creaturas quantum cognoscibiles sunt, id est, secundum omnes rationes, etsi non omni modo. Si autem illa specificatio scientiae, & cetera quae addit Suarez consequenter, vera sunt; debent pariter locum habere in obiecto mediato, quod non minus attingitur secundum se, quam immediatum. Sed de illo respectu transcendentali, & specificatione, dicemus paulò post. Debent quoque habere locum in scientia futurorum liberorum, quae attinguntur Deo per se primò & immediatè in seipsis, ut idem Autho nobiscum sentit. Eademque instantia refellitur aliud eius argumentum,

Deum non cognoscere possibilea in seipsis immediatè, quia obiectum divinae scientiae debet esse divinum, formale saltem. Refellitur, inquam, quia scientia Dei de futuris contingentibus immediatè, non habet obiectum divinum, neque formale, neque materiale. Totum enim eius obiectum est futurum contingens.

Contra eandem partem obijciunt aliqui D. Augustinum lib. 83. quaest. qu. 46. ubi ait Deum nihil extra se intueri, & sacrilegum esse opinari contrarium. Sed Augustinus aperte loquitur ibi de ideis, & de prima rerum creatione; atque Deum mundum creando non respexisse ad aliquam ideam extra se, sicut Pictores & Architecti solent: neque eguisse externo exemplari, sed intra se sufficientes rerum omnium habuisse ideas. Alij vero Patres citati à Didaco Ruio disp. 10. de scientia Dei, sect. 2. nu. 2. & 3. asserunt quidem Deum cognoscere creaturas mediatè in seipso: sed non negant cognoscere quoque immediatè in seipsis; qui modus cognoscendi non est incompatible cum priori: ideoque asserere unum, non est negare aut excludere alterum.

At, inquit, Dionysius cap. 7. de divinis nom. paulò post medium, sic ait: *Non enim ex his quae sunt, ea quidem discens, divina mens nobis: sed ex se & in se secundum causam, omnium notionem & scientiam, & quae subsistentiam anticipat, & ante comprehendit, non singula ex cuiusque specie ducens, sed secundum unicam causam complexionem omnia sciens & continens.* Et paulò post: *Non igitur propriam substantiam Deus habet: aliam autem quae communiter ac generaliter omnia quae sunt, comprehendit.* Quibus verbis videtur negare scientiam immediatam creaturarum. Respondeo, sensum Dionysij esse, ut colligitur ex antecedentibus & consequentibus, quòd Deus non accipiat scientiam à rebus ipsis, neque ad eas cognoscendas expectet easdem existentiam, ut nos facimus: sed cognoscit omnia antequam fiant, in seipso & ex seipso; eorumque scientiam anticipat, & quae ac substantiam. Quia cum sit omnium causa, habet in se, & ex se, virtutem sufficientem cognoscendi omnia: atque eo ipso quòd se velut omnium causam comprehendit, scit cetera omnia, ut ipse quae ex ipso sunt, & in ipso ante subsistunt. *Ipsa enim seipsam omnium causa cognoscens, quae tandem ratione quae ab se sunt, quae cum est causa ignorabit?* Et sic immediatè post verba postremo loco relata. Cum autem ibidem dicit Deum non habere aliam scientiam quàm seipsum, aliam quàm creaturas comprehendat: intelligi potest de alia realiter distincta: quasi non vna eademque realiter notitia vtrumque obiectum percipiat. Cum potius è contrario non possit Deum cognosci ut causam omnium creaturarum, sine ordine ad creaturas: & eadem notitia, quae est comprehensio causa ut causa, debet necessariò esse cognitio effectuum qui possunt ab illa produci. Idemque est sensus Cyrilli Decade 8. cap. 5. sub finè, à Ruio citati. Quod verò addit Dion. eod. cap. 7. paulò

8
D. August.
Non enim
quidquam
extra se
strum in-
tuebatur,
ut secundum
id consi-
tueret,
quod con-
sistebat:
nam hoc
opinari sa-
crilegum
est.

Explicat ut
testimonium
Patrum al-
legata col-
tra scientiam
immediatam
possibilem.

post verba superius relata, *Deus cuncta cognoscit, non rerum profectio scientia, sed sui*: nihil aliud significat, nisi quod supra diximus, Dei notiam non esse à creaturis, sed à se: cum ne Angeli quidem hauriant per sensus à sensibilibus creaturis ea quæ de illis norunt, vt addit ibidem immediatè post, *sed propria*, inquit, *ad Dei imaginem effecta mentis virtute atque natura*.

Ratio verò cur S. Anselmus in Monolog. cap. 32. dicit Verbum diuinum non esse Verbū creaturarum, sed Dei seipsum per illud exprimentis, non est illa quam reddit Didac. Ruis sect. 2. n. 3. quia scilicet creaturas non representat primariò, & per seipsum, sed per obiectum formale quod est essentia diuina: Verum quia non est similitudo & imago creaturarum, hoc est, non procedit ab illis cum aliqua earum representatione. Nam vtrumque est de ratione imaginis: vt sit similis, & vt procedat ab alio cuius dicitur esse imago. Verbum autem diuinum, licet exprimat vitaliter creaturas: non procedit ab illis, sed à Patre, creaturis tantum obiectiue, & purè terminatiue se habentibus ad cognitionem essentiali, cuius propria est fecunditas generatiua. Anselmij verba sunt: *Verbum quo creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creatura: quia non est eius similitudo, sed principalis essentia*. Et quòd verbum creaturam sumat pro eius imagine, patet ex ijs quæ paulò ante dixerat capite proximè præcedenti. *Verbum quo se dicit summa sapientia, conuenientissimè dicit potest verbum eius, quia perfectam eius tenet similitudinem*. Nam nulla ratione negari potest, cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione: imò ipsam cogitationem sui, esse imaginem, & sui similitudinem, tanquam ex eius impressione formatam. Quamcumque enim rem mens seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vique similitudinem quantum videri in ipsa sua cogitatione conatur exprimere &c. *Cum enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in alicuius imaginem eius, qualem illum per usum oculorum in memoriam attraxi. Quia imago in cogitatione, verbum est eiusdem hominis quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, seipsum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quæ sua impressione formatam*. Hec Anselmus: ex quibus infert capite sequenti, Deum similiter cum se dicendo intelligat, vixere in substantialem sui similitudinem suam, id est, verbum suum, imaginem, figuram, & characterem suæ substantiæ.

10. Obijciatur etiam, res possibiles antequam actu sint, non habere esse nisi in Deo, ideoque non posse cognosci nisi in Deo. Respondet Ruis, res possibiles, antequam in seipsis Deum existant, non habere quidem proprium esse reale in actu, habere tamen in potentia, id est, posse habere, seu posse esse existens: idgoque possibile esse, seu esse in potentia: & hoc esse dici recte, non actu-

le, sed potentiale, quod tamen potest actu cognosci secundum id quod est: & est, potest actu cognosci creaturas esse possibile. Nam quemadmodum Deus cognoscit actu res præteritas, secundum esse quod habuerunt, & futuras, secundum esse quod habituræ sunt: ita etiam possibile, secundum esse quod habere possunt? Neque enim est necesse vt obiectum quod actu cognoscitur, concurrat effectiue, aut motiue, & determinatiue ad cognitionem diuinam, siue per se, siue per speciem suam. Nam licet id sit necessarium intelligentijs creatis, propter earum limitationem: intellectus diuinus est diuinæ excellentissimæque virtutis; ideoque non eget concursu causæ extrinsecæ, vel speciei ad intelligendum. Imò licet improbabile non sit essentiam diuinam habere vim speciei intelligibilis respectu sui ipsius, & omnium possibilium, non tantum effectiue aut velut effectiue, quatenus intellectus diuinus sine specie, per se solùm valet ad omnia intelligibilia; sed etiam formaliter, quasi ipsa species quædam sit excellens, vt D. Thomas & alij quidam opinari videntur: tamen probabilius pro Deum non tantum vtendo essentia diuina vt specie, sed etiam absolute citra talem usum, intelligere se, & que etiam eatenus cognoscere se immediatè, id est, non per speciem intermediam: quia melius & nobilius est vt potentia cognoscitiua possit sine specie, scilicet, immediatè attingere obiectum; quam vt illa indigeat. Supposita verò opinione D. Thomæ, quam non improbo, sicut Dei essentia debet habere vim representandi Deum immediatè per modum speciei intelligibilis; ita nulla est ratio cur, vim non habeat representandi immediatè creaturas, posito quòd etiam representet illas ob continentiam eminentialem perfectissimam.

Alia quædam opponit Didacus Ruis disp. 10. de scientia Dei sect. 1. & 2. ubi cum Suarez censet Deum non cognoscere possibile immediatè, his præcipue argumentis inductus. Primò, quia, inquit, certum est Deo conuenire aliquam scientiam cuius obiectum formale sit ipse Deus. Et deinde necessarium est eadem ipsa intellectiōe creaturas omnes intelligi: quoniam alioquin intellectio illa non erit comprehensua Dei. Consequens igitur est eadem intellectiōe creaturas omnes intelligi, tanquam obiectum materiale, propter obiectum formale prius cognitum. Secundò, perfectissimæ scientiæ debetur perfectissimum obiectum formale, perfectissimusque modus sciendi illud. Perfectissimum autem obiectum formale non aliter, quod creaturas simul cum ipso Deo complecteretur: quoniam includeret imperfectiones creaturarum. Quemadmodum Deus non esset perfectissimus, si prædictas creaturarum imperfectiones, simul cum suis perfectionibus essentialiter includeret. Nec esset perfectissimus modus sciendi creaturas, scire illas per seipsum, tanquam ob-

atum formale. Perfectior enim est modus sciendi per primam illarum causam efficientem & exemplarem. Tertiò diuinæ voluntatis obiectum formale solus Deus est in quantum bonus; cunctæ verò creaturæ bonitates sunt obiectum materiale, quas proinde non amat propter seipsas, sed propter bonitatem infinitam Dei. Ergo pari ratione obiectum formale intellectus diuini est solus Deus; cunctæ verò entitates, & veritates creaturæ, sunt obiectum materiale.

Ad primum respondo nihil ex eo contra nos sequi. Admittimus enim talem in Deo scientiam: sed tantum negamus esse solam. Ad secundum dico perfectissimæ scientiæ adæquatè sumptæ deberi ut attingat obiectum, non vno tantum modo, sed eo omni quo materialiter & formaliter est cognoscibile euidenter, & sine imperfectione: non tantum per formale perfectissimum, sed & per quoduis aliud per quod potest euidenter cognosci. Falsum verò est, quòd modus cognoscendi creaturas per seipsas, includat imperfectiones creaturarum. Alioqui modus cognoscendi futuros liberos actus creaturarum per seipsos, includeret ipsorum imperfectiones. Et tamen Deus (vt Ruis in se fatetur) immediatè illos attingit per seipsos. Nimirum quia id quod est imperfectum potest representari immaterialiter, etiam per se immediatè, & exprimi vitaliter, sine imperfectione cognoscentis. Neque enim propterea obiectum est formaliter in intelligente, à quo cognoscitur. Vnde non valet exemplum allatum à pari, de continentia formali creaturarum, quæ poneret in Deo imperfectionem, si Deus illas non solùm euidenter, sed & formaliter contineret.

Ad tertium nego antecedens. Deus enim amat creaturas intellectuales, etiam propter seipsas, ex vtro amore amicitie circa ipsas, vt ostendimus disp. 15, sect. 1. quæuis actu summo dilectum propter suam bonitatem infinitam. Consequentia verò est contra summum Didacum Ruis, qui nobiscum, & fere cum omnibus nostræ Societatis scriptoribus, fatetur Deum cognoscere in seipsis immediatè futura cōingentia creaturarum, siue absoluta, siue hypothetica: non autem solùm per essentia suam, aut aliud motuum diuinum, quia nihil talè potest esse sufficiens medium infallibiliter ea primò cognoscendi, vt ostendimus disp. sequenti.

SECTIO III.

Refellitur secunda opinio contraria.

Secundò, contra id quod diximus, Deum immediatè in sua essentia, vt potentia & causa, intelligere creaturas, opinantur Vasques disp. 67. cap. 2. Becanus cap. 10. q. 4. & quidam alij recentiores: quorum

præcipua argumenta hæc sunt. Primum, est quia Deus in se est res planè absoluta, nec ullam dicit relationem realem aut ordinem ad creaturas possibles: ergo præcisè ex eo quòd seipsum cognoscit per modum obiecti, non cognoscit in seipso, velur in obiecto cognito, creaturas, vt possibles. Confirmatur antecedens: quia si potentia diuina esset relata essentialiter ad creaturas possibles, atque etiam ad quamlibet in indiuiduo: ergo sublata possibilitate, v. g. vnus muscæ, Deus non esset. Consequens est absurdum & falsum. Quia Deus est ens magis necessarium: & per locum intrinsecum argumentando, si muscæ foret impossibilis, non ideo Deus, immatur secundò, quia si diuina potentia relata ad creaturas; viderentur necessariò à quouis Beato omnes creaturæ, visà Dei potentia.

Ad hæc respondo negando primum antecedens cum Gregor. Arimin. in 1. dist. 28. q. 3. & alijs antiquis infra nominandis, Albertino in corollarijs, principio primo, coroll. 4. q. 4. n. 10. De Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 4. num. 45. Didaco Ruis disp. 10. de scientia Dei sect. 4. num. 10. & disput. 5. de voluntate Dei, sect. 4. vbi pro eadem sententia citat D. Thomam, Alexand. S. Maximum, Hugon, Victor. Scot. Bonauent. Ricard. Henric. Gregor. Charustan. Caietanum, & Gregor. Nyssen. qui agnoscunt in Deo relationes transcendentales ad creaturas. Et quidem D. Thomas non obscure fauet illi sententiæ q. 13. a. 2. ad 1. vbi sic ait: *In hoc quòd dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quòd dico, Deum velle.* Quibus verbis admittit in Dei volitione relationem ad creaturas: Nam in eo articulo querit an Deus velit alia à se. Quòd si alibi videtur passim negare huiusmodi relationes: intelligendus est de categoricis, quæ ex sua Philosophia supponit distinguui in re à fundamento, nec esse nisi ad terminum existentem, & inter res eiusdem ordinis: quæ manifestè in Deo non sunt respectu possibilitum. Confirmatur, quia si relatio transcendentalis nihil aliud est, quàm posteriorius ordo ad aliud (id est, ad distinctum realiter) ipsi relatio intijmus, vt docent Philosophi in categorijs: planè essentia diuina vt talis secundissima creaturarum, est essentia per vis ad illas: & non potest cognosci in Deo ratio talis secunditatis, quin videatur vt intimè potens ad illas: ergo, quòd idem est, quòd ordinata essentialiter ad illas. Idemque dico de scientia & voluntate Dei, seu volitione, circa possibilia. Circa seipsum verò, Deus vt est cognitio vel amor sui essentialis, non refertur ad se realiter, vt enè affirmat D. Thomas q. 28. a. 4. ad 1. sed tantum virtualiter & secundum rationem: quia deest distinctio realis, quæ ad veram relationem necessaria est, iuxta Aristotelem & Philosophos in categor. cap. de relatione, & cap. de oppositis, & Theologos communi- niter in tract. de Trinit. Quòd si, vt hæc

12.
Soluntur
alia argu-
menta con-
tra scien-
tiam im-
mediatam
possibilitum.

14.
Relationes
transcenden-
dentales in
Deo ad
creaturas.

D. Thomam

13.
Vasq.
Becan.

virtualis tantum est, sic alias Dei relationes ad creaturas, virtuales solum esse contendat aliquis, eo quod durius videatur ponere in Deo relationes formales ad creaturas: cum illo multum ambigendum non potest: sed ille nihil proficit. Nam virtuales quoque sine terminis ad quos sunt, intelligi non possunt.

15. Possibilia sunt necesse est esse connexa cum Dei omnipotentia, ita ut illis sublati stare nequeant.

Quo modo maior sit necessitas ut Deus sit, quam ut creaturae sine necessitate possibiles?

Ad primam confirmationem Respondeo eum Suare lib. 9. de Trinit. cap. 6. num. 19. non posse tolli aut restringi possibilitatem ex parte creaturarum, quin tollatur à Deo aut restringatur positiva perfectio omnipotentia, quae vniuersalissime patet ad omnia extra Deum possibilis absolute, id est, ad omnia quae non implicant contradictionem: Quare si vel vnum de possibilibus impossibile foret, non esset tanta omnipotentia, quanta nunc est, nec eadem quae nunc est: cum illa quae nunc est, sit essentialiter vis ad omnia, quae de facto sunt absolute possibilis; ad omnia, inquam, cum distributione vniuersalissima, id est, ad omnia & singula indiuidua. Ac proinde non esset eadem essentia diuina, de qua ratione est ipsa omnipotentia. Ergo non esset idem Deus essentialiter qui nunc est, nec vllus omnino, cum alium esse Deum sit plane impossibile: Nam in aeternis & immutabilibus idem est esse, & posse esse. Est quidem maior necessitas ut Deus sit, quam ut creaturae sint possibilis, loquendo de maiori parte nobilitatis, & prioritatis, seu dependentiae; cum Deus sit radix omnium possibilium secundum eas perfectiones, quarum possibilis sunt quaedam participatio: at non maiori parte immutabilitatis & simplicis necessitatis, quasi vllatenus possit esse Deus secundum essentiam suam completè & adaequatè, & nominatim quatenus est radix aut vis physica omnium extra se possibilium; quin consequenter trahat summa necessitate non-repugnantiam omnium possibilium, ob necessariam quae illis connexionem. Neque propterea Deus pendet à possibilibus. Nam dependentia dicit subordinationem & subiectionem. Deus autem non subordinatur creaturis, sed illa potius Deo subordinantur ut primae causae.

Ad secundam confirmationem dico visà adaequatè omnipotentia, necessarium esse cognosci omnes creaturas possibilis, secus autem visà inadaequatè, ut à Beatis videri constat ex dictis de visione Dei, disput. 8. sect. 8. & duabus sequentibus.

16. Secundum illius sententiae argumentum est, quod si Deus cognosceret in seipsis creaturas possibilis, ut in causa earum productrice, sequeretur attributum omnipotentiae nostro modo concipiendi esse prius, quam attributum scientiae. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Probat sequela, quia obiectum est prius cognitione. Quod autem omnipotentia non sit prior quam scientia, probatur, quia omnipotentia vel est ipsa voluntas, vel est attributum consequens & supponens voluntatem. Voluntas autem necessarii supponit scientiam, per quam

illi proponitur obiectum volendum. Quare scientia prior est quam omnipotentia. Confirmatur, quia Deus agit per intellectum ut dirigentem, & per voluntatem, saltem ut applicantem potentiam executiuam, si ab ea distinguitur. Ergo eius scientia est prior, quam potentia completa. Ergo Deus est potens quia scit, non contra. Ergo non scit creaturas in sua potentia, quae iam scientiam praesupponit. Et haec quidem vera est. Quia Deus omnia scit, propterea est omnipotens. Sed non ista: Quia Deus est omnipotens, omnia scit. Confirmatur secundo, quia per locum intrinsecum non sequeretur Deum non omnia intelligere, quamuis non esset omnipotens. Aliunde enim intelligeret per essentiam. Et sicut homines & Angeli possunt multa intelligere, quae non possunt efficere: ita non sequeretur per locum intrinsecum Deum non posse res alias intelligere, quamuis non posset efficere.

Huic argumento respondeo distinguendo maiorem. Sequeretur attributum omnipotentiae esse prius quam attributum scientiae diuinae cuiuscunque: Nego. Illius quae cognoscit possibilis mediante sua omnipotentia, ut medio cognito: Esto. Ad probationem sequela, respondeo per aliam distinctionem. Obiectum scientiae speculativae est prius ratio ipsa scientia pure speculativa: Esto. Obiectum scientiae practicae: Nego. Nam potius est natura posterior, quia ab ipsa causatur. Deus autem habet utramque scientiam de possibilibus: & speculativam, qualis est illa quae ea indirectè contemplatur, & mediatè in sua omnipotentia; & practica, qualis est notitia directa & immediata de possibilibus ut à se producibilibus: quae notitia velut idea, concurret ad eorum productionem: ac sicut vi illius producuntur, quando sunt: ita eiusdem vi sunt producibilia, & possibilis, antequam fiat & existant: quatenus possunt per illam produci concurrente voluntate, & omnipotentia.

Licet autem intellectus diuinus sit ratione prior voluntate, & voluntas omnipotentia exequente: non propterea actus scientiae est prior voluntate, aut omnipotentia: sed potentia posterioris, & actus actibus subordinantur: id est, omnipotentia subordinatur voluntati, & voluntas intellectui: similiterque actus omnipotentiae subordinantur actibus voluntatis, & actus voluntatis, actibus intellectus: non tamen omnes omnibus: sed ibi tantum est prioritas admittenda, ubi est virtualis subordinatio, aut maior connectio cum subiecto. Actus autem creandi non subordinatur actui scientiae cognoscendi possibilis mediatè in omnipotentia: sed actui quo Deus ea immediatè in seipsis intelligit, quique est notitia eorum practica, apta dirigere voluntatem efficacem & omnipotentiam ad illa producenda. Eademque scientia est principium possibilium, accedente voluntate efficaci efficiendi, tanquam pars potentiae completæ, id est, tan-

17. Actus diuini quomodo alij alijs prior sit?

quam aliquid necessario prerequisite ut omnipotentia operetur. Quippe quæ nequit operari nisi applicata per voluntatem liberam & efficacem, quæ volitio supponit cognitionem. De eademque scientia intelligi debet illa causalis: quia Deus omnia scit, propterea est omnipotens: completè scilicet in sensu iam explicato. De alia verò scientia, quæ cognoscit possibilìa mediatè in sua potentia, vera est hæc causalis: Quia Deus est omnipotens, cognoscit creaturas in sua omnipotentia. Reliqua quæ adduntur in confirmationem argumendi, probant tantum Deum cognoscere possibilìa aliunde, quàm per suam omnipotentiam, neque illam solum Deo suppetere viam ea cognoscendi: quod non negamus.

SECTIO IV.

Referuntur & impugnantur alia dua sententia contraria.

18. TERTIO, nonnulli Recentiores fatentur Deum posse quidem cognoscere creaturas, tum immediatè in seipsis, tum mediatè in sua cognitione per quandam reflexionem: negant tamen Deum posse aliter eas cognoscere in seipso, quàm in sua cognitione; ac hoc non in essentia sua ut imitabili seu participabili, vel ut potentia effectiva. Primò, quia Deus, siue ut imitabilis, siue ut est vis efficiendi, nihil per se distinguit, nec continet distinctè rationes & perfectiones rerum possibilium: sed continet omnia in vno simplicissimo signo & uniformi, quod nullo modo distinguit res posibles. Ergo nõ possunt in eo cognosci distinctè secundum proprias differentias. Secus autem in cognitione quæ omnia distinguit, attingens distinctè & exprimens vitaliter vitam quodque, non minus ac si esset propria cuiusque notitia. Secundò, quia Deus est prius intelligens, quàm sit volens & potens, & similiter in creaturis prius est quòd sint intelligibiles, quàm quòd sint producibiles. Ergo intelligentia diuina non est primò circa Deum ut imitabilem, neque circa Deum ut causam efficacem, neque est circa alia ut pendentia à diuina efficacitate, sed est circa omnia ut intelligibilia, & per se conceptibilia.

19. Ad primum respondeo primò, argumentum illud, tamen si verum esset, non probaret possibilìa non cognosci in Deo, saltem eodem modo quo continentur in ipsis essentia velut imitabili, vel in eius omnipotentia: licet non possent vi istius mediij cognosci tam perfectè & distinctè, atque vi cognitionis omnia distinguentis. Respondeo secundo, Deum in sua inueniri virtute continere distinctè rationes omnium possibilium, non minus ac si virtus multiplex esset distincta &

Tertia sententia nostra contraria refellitur.

Deus cognoscit possibilìa in sua omnipotentia.

propria cuiusque: & eatenus præbere fundamentum sufficiens omnia distinguendi intelligentiæ perfectæ & comprehensivæ. Nam est vis producendi omnia possibilìa, non secundum confusam quandam & generalem solum rationem (imò secundum illam impossibile est produci) sed secundum propriam cuiusque speciem, & entitatem determinatam & indiuidualem. Quare qui perfectè penetrat vim diuinæ omnipotentia, cognoscit illam esse radicem essentialem, & vim productricem omnium possibilium in specie & in indiuiduo, ac secundum proprias & vltimas cuiusque rationes. Confirmatur, quia relata transcendentia non possunt cognosci sine termino. Atqui omnipotentia diuina est relatiua transcendentia ad omnia possibilìa distinctè & singillatim, in quantum naturaliter & essentialiter est virtus singula producendi secundum id omne quod sunt, & quo ab inuicè distinguuntur.

Secundum autem argumentum non pugnat contra nos, qui non asserimus illam possibilium cognitionem esse primam. Cæterum licet omnia quæ Deus cognoscit, siue ipsas essentia, siue possibilìa extra se, vel existentia, cognoscantur simul tempore seu duratione, atque etiam sine ordine naturæ in cognitione ipsa, eò quòd vnica & simplex essentia sit cognitio quam Deus de se & de alijs rebus habet, citra vllam productionem cognitionum; in eadè verò cognitione simplicissima & improducta, non potest prius & posterius natura assignari: potest tamen prioritas quædam rationis constitui inter diuinas cognitiones ut ratione distinctas: idque dupliciter. Primò, ratione subiecti; quatenus vnã sibi prius vndicat quàm aliam, quæ aliter vocatur prioritas necessitatis. Et sic scientia Dei circa possibilìa, quia essentialis, est prior scientiâ creaturarum ut existentium, utpotè contingenti & accidentalì logicè: essentialia enim sunt priora non essentialibus. Secundò, ratione obiecti; quatenus ex parte obiectorum quæ cognoscuntur, vnum concipitur à nobis velut ratio quæ Deus cognoscit aliud, eò quòd vnum sit immediatius coniunctum ipsi Deo intelligenti, quàm aliud: quo pacto possibilìa, cum per omnipotentiam ut per medium cognoscuntur, sunt posteriora cognitione quàm ipsa omnipotentia, saltem à se. Quæ de re plura dicemus alibi.

Quartò, sunt qui putent Deum quidem se cognoscere in alijs, sed non ex alijs, id est, ex creaturis. Secundam verò partem huius assertionis, quæ seorsim nobis aduersatur, probat primò ex D. Thoma q. 14. a. 6. ad 2. ubi sic habet. Ad secundum dicendum est, quod essentia creaturæ comparatur ad essentiam Dei, ut cilius imperfectus ad perfectum. Et ideo essentia creaturæ non sufficienter ducit in cognitionem essentia diuina, sed è conuerso. Secundò, quia cognitio Dei ex creaturis continet duas formales cognitiones, ratione nostra distincta cuius fundamentum est nostris conceptibus.

20. Prioritas rationis inter cognitiones diuinas, duplex necessitatis, & causalitatis virtualis.

21. Quarta sententia nostra opposita refellitur.

Prima terminatur ad creaturas directe atque immediate: & hæc perfecta est & comprehensiva. Secunda, ad Deum ipsum immediate & directe in se, ex priori cognitione creaturarum quodammodo procedens, quæ necessarîo imperfecta est: ergo cognitio Dei ex creaturis neganda est Deo. Probatur antecedens, quia hoc secundum iudicium Dei, ratione nostra illatum ex primo, non cognoscit naturam Dei, sed solum affirmat ipsum existere. Neque cognoscit ipsum esse trinum in personis, quando deducitur ex ordine creaturarum per se respiciente Deum, ut vnum, non ut trinum. Ergo hoc iudicium Deum cognoscit abstractè & inadæquate: ergo in se involuit imperfectionem. Omnis enim cognitio præcisus, & inadæquata, est confusa: quippe quæ non cognoscit rem ut est in se. Sed omnis cognitio confusa est imperfecta: ergo &c. Ita Valentin. Herice disp. 4. cap. 3. numero 21. & 22.

22. Ad primum respondeo, sensum D. Thomæ loqui de Deo esse, quod essentia creaturæ non sufficienter ducat in cognitionem essentia diuinæ, ad cognoscendum propriam cognitione quicquid Deus est, id est, ad Deum distinctè penetrandum secundum omnes eius perfectiones, propriè & distinctè cognitæ: sicut Dei essentia sufficienter ducit in cognitionem creaturæ perfectam & adæquatam, cognoscendo de illa quicquid est, propriè & distinctè cognitione. Ratio differentia huius est: quia essentia creaturæ non repræsentat Deum perfectè, cum sit imperfecta eius participatio, & effectus inadæquatus eius omnipotentia: ideoque vi illius non potest cognosci essentia diuina nisi inadæquate, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ q. 13. a. 4. corp. Contra verò essentia diuina continet eminentè & causaliter quicquid est in creatura, secundum quam quæque propriam rationem, & differentiam: ideoque est sufficiens medium cognoscendi creaturam propria cognitione, quoad id omne quod est. Hunc esse sensum D. Thomæ patet ex corpore eiusdem articuli 6. vbi docet Deum cognoscere creaturas propria cognitione, secundum id omne quod sunt, distinctè & adæquate, & non tantum secundum rationem communem entis, ad alia confusas & generales: tum quia Deus cognoscit omnia perfectissimè: cognoscere autem secundum rationes tantum generales & confusas, est cognoscere imperfectè, tum etiam quia Deus continet eminentè in sua essentia omnes perfectiores creaturarum, & omnes modos quibus potest ab illis sua perfectio infinita participari. Vnde cognoscendo seipsum perfectissimè: cognoscit omnes & singulas rationes & perfectiones creaturarum, cognitione propria, attingente & distinguente vnumquodque secundum id omne quod est.

23. Ad secundum Respondeo cognitionem Dei ex creaturis non esse duplicem formali-

ter, neque in duas bene distingui per rationem, quasi verò vna creaturas solum attingat, & altera Deum: sed eadem indiuisibiliter re & ratione attingit Deum & creaturas, cum subordinatione ex parte obiectorum, & prioritatem tantum à quo: quatenus scilicet creaturæ sunt obiectum formale Deo, ut cognoscatur tali cognitione. Et quamuis ambo simul cognoscantur eodem actu indiuisibiliter: creaturæ tamen cognoscuntur per se, directeque & immediate occurrunt intellectui: Deus autem non cognoscitur per se, neque directe & immediate occurrunt intellectui, sed per creaturas. Simili modo quo quis, cum ad conspectum imaginis cognoscit Regem; cognoscit Regem & imaginem eodem actu indiuisibiliter, ut connexa & correlata secundum dici, ratione signi & significati: sed prius à quo cognoscit imaginem per seipsum, directe & immediate sibi occurrentem, mouentemque seipsa ad sui cognitionem. Regem verò cognoscit tantum per imaginem, vi cuius, tanquam signi, ducitur intellectus in Regis cognitionem.

Ad probationem antecedentis respondeo notitiam, quam Deus de se habet ex creaturis, non esse imperfectam positivè, quia est tanta, quanta potest haberi vi illius medij: sed solum negatiuè, hoc est, non esse perfectissimam & adæquatam cognitionem, quam Deus habet de seipso. Sed hoc non impedit quo minus tribuenda sit Deo talis cognitio. Neque enim quæuis Dei perfectio, siue intellectus, siue voluntatis, aut alterius attributi, debet esse summa perfectio, præcisè sumpta, prout ratione distincta à quavis alia: v. g. cognitio lapidis præcisè, non est formaliter tanta Dei perfectio, ac visio suæ essentia. Idemque dico de volitione creandi muscam, comparata cum amore infinito Dei circa seipsum. Identice verò & realiter, nulla est Dei perfectio, quæ non sit summa: quippe quæ est ipsamet Deitas, ut patet ex dictis disp. 4. sect. 1.

Verum autem non est quod addit Author ille, naturam Dei non cognosci ex creaturis, si intelligit, etiam inadæquate: nam tantum potest de illa cognosci ex creaturis, quantum creaturæ illam participant. V. g. ex intelligentijs creatis, colligimus Deum esse intelligentem: quam perfectionem esse Deo maximè essentialiter, eumque constituere essentialiter, docet idem Author disp. 3. cap. 3. Sed & ipsamet existentia, quam cognosci fateatur, est Deo essentialis. Quamuis autem quoad Trinitatem personarum, & alia quæ non possunt cognosci ex creaturis, cognitio illa Dei mediata, præcisè sumpta, sit inadæquata, & quodammodo abstractiua, quatenus ut sic non attingit quicquid est obiectum: distinctè tamen attingit quicquid potest de Deo cognosci ex creaturis: & realiter est adæquata, & distinctè comprehensiva Dei, quatenus ille actus, sumptus

Cognitio Dei ex creaturis est simplex, cum ordine tantum prioritatis à quo, & ex parte obiectorum.

Qualibet Dei perfectio non est summa eius perfectio.

Natura Dei in tantum potest cognosci ex creaturis, quantum ab illis participatur.

Cognitio mediata quæ Deus habet de seipso ex creaturis, est perfectior & comprehensiva realiter.

VALENTINUS
HERICE
DISP. IV.
CAP. III.

realiter prout est à parte rei, non est solum mediata Dei cognitio ex creaturis, sed & immediata, & omnimoda comprehensio. Licet autem cognitio quæ est confusa tantum, & inadæquata realiter, sit imperfecta: non tamen illa quæ præcisivè tantum habet à parte rei.

26. Instabis cum Herice: Sicut negandum Deo iudicium probabile ex principio probabili illatum, licet ex tali principio conclusio probabiliter cognoscibilis sit: quia in ipso iudicio probabili est inclusa imperfectio fallibilitatis: pariter, quia in cognitione Dei ex creaturis includitur imperfectio præcisionis & confusionis, neganda est Deo, etiam si alio modo ex creaturis cognoscibilis non sit: & etiam si per illam Deus se cognosceret, quantum cognosci potest ex creaturis. Respondeo non esse negandum Deo iudicium evidens & infallibile de probabili connectione conclusionis cum principio probabili. Deus enim cognoscit evidenter omnem veritatem, & omnes rerum connexiones, qualescunque illæ sint. Est autem verum probabile esse vi illius principij, quod talis conclusio secutura sit: siue quod possit probabiliter sequi ex illo. Iudicium verò assertivum absolute, quod secutura sit re ipsa, est intrinsecè imprudens, fallibile, & te obnoxium formidini oppositi: adeoque Deo prorsus indignum. Divinitas enim non opinatur, vel sapienter, ait S. Augustinus tract. 37. in Iohannem. Sed nego talem imperfectiorem, aut aliam Deo indignam, includi in evidenti & infallibili cognitione Dei ex creaturis. Nam licet sit præcisiva & confusa quodammodo, id est, non attingens distinctè Deum secundum omnem rationem quæ est: illa præcisio est tantum secundum nostram considerationem, inadæquate concipientem actum illum divinum, qui totaliter sumptus prout est à parte rei, est perfectissima Dei cognitio & plena comprehensio. Non est autem imperfectio quod actus ille divinus inadæquate sumptus, & secundum quid consideratus, sit præcisivus & inadæquatus objecto eiusdem actus integrè sumpti prout est in re.

Nec ullam continet imperfectionem Deo reputantem

SECTIO V.

Respondetur argumentis quorundam Recentiorum.

27. Superest respondere argumentis quorundam Recentiorum, qui contendunt Deum non posse cognoscere possibilium in sua essentia, ut in medio cognito, neque tanquam in intelligentia & reali eorum expressione, vel in virtute & potentia eorum productrice. Ad quod probandum supponunt, cognitionem mediatam definiti illam quæ sit aliquo alio

Proposuntur argumenta contra scientiam possibilium in Deo.

mediante, quo præsupposito, & priùs ratione præcognito, cognoscimus aliud, propter aliquam eius cum illo connexionem: sicut per præmissa cognoscimus conclusionem. Hoc supposito docent primò, quando potest aliquid attingi cognitione per se separabili, & non inuolvente cognitionem eius ad quod dicitur esse medium; potest esse medium ratione priùs præcognitum modo explicato. Quo pacto, inquiunt, decretum se incarnandi esse potest Deo medium ratione priùs cognitum, in quo videat incarnationem esse futuram. Nam distinguuntur rationes, ac separari possunt hæ duæ cognitiones. Prima quæ dicit, *Decerno me incarnare*: & alia quæ dicit, *Incarnatio futura est, quandoquidem ita decerno, & decretum meum est infallibile*. Deus etiam potest in sua essentia, ut imperfectè imitabili à creaturis, eas cognoscere: quemadmodum pictori, Ex. gr. templum potest esse medium præcognitum, ex quo formare cognitionem imaginis à se pingendæ, imperfectè templum representantis. Nam illæ duæ cognitiones possunt separari: posset enim pictor stare in aspectu prototypi, & non inde formare ideam imaginis. Deus autem est prototypus, saltem respectu creaturæ intellectualis, quæ est formata ad imaginem Dei: imò cæteræ omnes aliquam videntur & vestigium essentia divinae retinent.

Docent secundò, essentiam divinam, ut est cognitio vel virtus possibilium, sub hoc conceptu obiectivo non posse esse medium, ratione priùs præcognitum, in quo Deus mediatè cognoscat possibilium modo supra explicato. Quia nisi possint duæ res, vel rationes obiectivæ, subsistere conceptibus per se separabilibus, & adæquate distinctis; altera alteri medium esse non potest ratione priùs cognitum. Sed essentia divina, sub conceptu obiectivo cognitionis possibilium, vel virtutis productivæ, non potest subsistere duobus conceptibus per se separabilibus, & adæquate distinctis; ergo &c. Maiorem probant, quia si una est medium priùs cognitum: ergo eius cognitio est causa, saltem virtualis, cognitionis alterius. Ergo est distincta: nam omnis causa est distincta adæquate à suo effectu. In in discursu, qui in eorum sententia supponitur esse actus realiter simplex, notitia antecedens est tamen causa virtualis notitiæ consequentis, & per se separari potest, id est, potest esse actus, qui præexistat in notitia antecedentis; sicut in enthymemate, & in syllogismo, semper distinctis propositionibus enunciantur antecedens & consequens. Denique quod est medium ratione priùs præcognitum, est tale formaliter per cognitionem etiam esse cognitum, est denominatio extrinseca à cognitione. Ergo si est priùs cognitum, est prior ratione eius cognitio.

Minorem verò eiusdem argumenti, nimirum quod divina essentia, sub conceptu obiectivo cognitionis possibilium non possit

Primum documentum Ad. veritatis. c. 1.

28. Secundum documentum.

29.

subi.

Subiacere duobus conceptibus ratione distinctis & separabilibus, quorum alter sit causa virtualis alterius, probant primò, quia omnis cognitio essentia diuina, quã intelligentia seu cognitionis creaturarum, essentialiter inuoluit & constituitur intrinsecè per aliquam apprehensionem creaturarum, vt per se notum est: nullis enim terminis potest explicari cognitio cognitionis creaturæ, non factã aliquã creaturæ mentione. Sed nulla causa, etiam virtualis, constituitur formaliter & intrinsecè per suum effectum: ergo cognitio essentia diuinæ, vt cognitionis possibilium, non potest esse causa virtualis cognitionis possibilium. Secundo, relata sunt simul natura & cognitione: seu omnis cognitio relati quã talis, in eodem signo naturæ & rationis indiuisibili includit aliquam apprehensionem sui correlati. Sed diuina cognitio possibilium, vt talis, est relata ad creaturas: ergo in eodem signo rationis cum illã apprehenditur creatura possibilis. Ergo non est medium ratione prius, seu in priori signo rationis præcognitum. Addunt testimonium D. Thomæ ex q. 14. a. 6. ad 2. sed illud supra exposuimus alia occasione n. 22.

Docent terò, posse generationem multam cognosci in alio, licet non vt in medio ratione prius cognitio: atque ita in Deo creaturas, & Deum in creaturis cognosci. Dupliciter autem aiunt id fieri. Primò, quando duo coniunguntur comparatiuè, ita tamen vt alterum sit id in quod directè fertur intellectus, neque tamen dar illi perfectam alterius notitiam. Atque ita, inquit, videt se Deus in creaturis per actum, per quem dicit, *ha creatura me indiget*. Sed huic termino, me, responder notitia quidditatiua, quam Deus de se habet: non tamen hausta à creaturis. Nam cognitio Dei ex creaturis est tantum analogica. Secundo modo vnum videtur in alio, puta creatura possibilis in Deo; quã ita se habet in quo aliud dicitur videri, vt ipsum per se physicè determinans, vel æquiualeuter implens officium obiecti, determinat ad notitiam alterius, vt sibi connexi. Tunc enim facit vt penetrando ipsum, intelligamus illud cum quo habet connexionem. Ita, inquit, affectus noster seu amor actualis erga sanitatem, parit notitiam secundam & reflexam sanitatis. Solum enim affectus noster est notis præfens, & sanitas abest. Et tamen dum affectus præfens causat notitiam sui, in illò intelligimus habitudinem ad sanitatem, & proinde sanitatem ipsam. Sed ibi non sunt distinguenda duæ cognitiones, etiam ratione separabiles, quarum altera sit altera prior. Non essentialiter reflexio in affectum erga sanitatem, aliquam apprehensionem sanitatis inuoluit. Hoc modo, inquit, diuina essentia, vt est cognitio & affectus erga creaturas possibles, potest generare notitiam creaturarum, quã intelligantur cum diuina cognitione & affectu, vt terminus cognitionis & affectus, haec illi.

Tom. I.

Contra quæ dico primò, in definitione cognitionis mediata, quæ est cognitio vnius ex alio præcognito, ob aliquam eius cum illo connexionem, particulam, præcognito, non significare prioritatem in quo, sed a quo, id est, non significare signum rationis in quo vnum cognoscatur, & non aliud: neq; etiam significare prioritatem inter cognitiones ipsas, re veneratione & virtualiter distinctas, & separabiles: quarum vna tendat in essentiam diuinam, vt cognitionem possibilium, separatim à possibilibus; altera tendat in ipsa possibilium cognita vi prioris cognitionis essentia. Est enim euidenter impossibile in vilo signo rationis cognosci cognitionem possibilium, & non cognosci ipsa possibilium. Est item euidenter cognitioem essentia diuinæ, vt cognitionis possibilium, esse indiuisibiliter re & ratione, cognitionem possibilium: ita vt impossibile sit præscindere aliquam rationem in tali actu, quæ sit formaliter cognitio essentia diuinæ, vt notitia possibilium, & non sit cognitio eorum possibilium. Sed, vt bene exponit Fafolus q. 12. a. 8. dub. 12. n. 73. significat ordinem inter obiecta, prout cadunt sub cognitionem: quatenus scilicet vnum cognoscitur per se, & alterum per illud: atque ita vnum est alteri causa vt cognoscatur, quamuis vtrumque eadem indiuisibili cognitione attingatur: vnum, vt per se determinans aut mouens intellectum, tanquam obiectum formale: alterum autem non determinans aut mouens per se intellectum, sed habens ab alio vt cognoscatur, tanquam materiale per formale. Itaq; in eodè signo rationis eadem cognitio, quæ est de essentia diuina, vt notitia creaturarum, est etiam de creaturis indiuisibiliter: licet causa seu ratio propter quã est ad creaturas, sit quia est ad essentiam vt notitiam creaturarum; quæ essentia, vt talis, cognoscitur à Deo per se, & determinat aut mouet per se diuinum intellectum, velut obiectum formale respectu talis cognitionis: creatura verò non per se mouet & determinat, neque per se cognoscitur, sed per essentiam diuinam, vt obiectum formale respectu eiusdem cognitionis.

Quare subtiliter & sapienter Ferrar. 1. contra Gentes Cap. 49. in fine, loquens de cognitione, quã Deus in sua essentia, vt notitia creaturarum, cognoscit creaturas, sic ait: *Cum dicitur diuina cognitionem terminari secundario ad res creatas, per hoc non intendimus ponere ordinem in ipsa cognitione diuina secundum se: sed tantum inter cognita: & est sensus, quod res aliæ sunt secundario obiecta diuinæ cognitionis. Itaque est ordo inter obiecta, quorum vnum est causa vel ratio alteri vt cognoscatur: sed non est ordo inter cognitiones, quasi sint duæ re, vel ratione, quarum vna sit causa, saltim virtualis, alterius.* Et Marsil. in 3. quæst. 10. a. 2. p. 2. articuli ad 1. post Richard. in 3. dist. 14. a. 2. quæst. 2. ad 1. loquens de cognitione quã Beati vident creaturas in Verbo, id est, in essentia diuina, vt est cognitio creaturarum, negat

Cognitio mediata vnius ex alio præcognito, dicit prioritatem a quo, & ordinem inter obiecta.

Fafolus

Ferrar.

Marsil. Ricard.

STINO
US
RAT
VI
U.

visionem Verbi esse causam visionis creaturarum: & illa se habere visionem Verbi ad visionem creaturarum, sicut se habet Verbum ad creaturas: sed solum, inquit, Verbum est causa, ut eadem visio, quia est Verbi, sit etiam creaturarum, quas Verbum repræsentat. Quatenus scilicet Verbum illud diuinum essentiale, per seipsum cognoscitur à Beatis ut præsens & determinans intellectum instructum lumine gloriæ, cui per seipsum immediatè occurrit & obicitur: Creatura vero non per seipsas mouent & determinant intellectum Beatorum, siquidem res purè possibilis non possunt illis per se immediatè occurrere, & per se solas determinare eorum intellectum: sed attinguntur tantum ut terminus relationis Verbi ea repræsentantis, propter idemque Verbum per se cognitum.

33. Ex quibus patet falsum esse principium illud Aduersariorum: Nisi possint duæ res, vel rationes obiectiue, & subiaccere conceptibus per se separabilibus, & adæquatè distinctis, altera alteri medium esse non potest ratione priùs cognitum. Ad cuius primam probationem, nego sequelam. Non enim bene sequitur, quod si vna est medium priùs cognitum, prioritate supra explicata, ergo eius cognitio est causa saltem virtualis cognitionis alterius. Ad secundam, nego in actu illo simplici discursus, noticiam antecedentis esse causam virtuales noticiam consequentis. Cedit enim indiuisibiliter re & ratione in antecedens ut formale, & consequens ut materiale, ut connexionis necessariæ antecedentis cum consequente. Estque impossibile separari noticiam antecedentis, quæ antecedens est, & quæ connexum cum consequente, à notitia ipsius consequentis: id est, non potest esse actus qui cognoscat ambas præmissas esse veras, & ita esse connexas cum conclusione, ut posita illarum veritate conclusio necessariò sit vera; quin simul cognoscat conclusionem, & eiusque veritatem, formaliter & secundum se. Totum autem hoc debet cognosci de antecedente: nimirum non tantum propositiones in eo positas, esse veras; sed etiam ita esse connexas cum conclusione, ut si sint veræ, conclusio vera sit. Alioquin antecedens non determinat & cogit intellectum ad ascensum conclusionis: neque est sufficienter causa in actu secundo ut cognoscatur: neque denique cognoscitur perfectè ut antecedens, & ut vim habens inferendi conclusionem. Quare non sicut verbo tenus distinguitur antecedens à consequente, exprimiturque diuersis propositionibus: ita per se tenentem separatur conceptibus, quorum vnus respondeat soli antecedenti, alter soli consequenti.

34. Respondent Aduersarij solum materiale antecedentis esse medium ducens in cognitionem consequentis. Puta, inquit, ordo vniuersi conspectus, causa hanc illationem: Ergo est aliquis Deus qui ordinauit. Esse autem antecedens, non est ratio quædam obiectiua,

ex qua inferatur consequens: sed est denotatio extrinseca ab actuali mentis illatione. Similiter, inquit, conspectus absolutus signi materialis, puta visio formæ characteru, est causa excitans cognitionem rei significatæ.

Sed contra primum, dico esse falsum euidenter quod solum materiale antecedentis sit totum medium ducens in cognitionem consequentis. Nisi enim cognoscatur ut connexum cum consequente, non causat noticiam consequentis. Quare est medium ut antecedens formaliter sumptum, id est, ut inferens veritatem conclusionis, ratione connexionis necessariæ veritatis antecedentis cum veritate consequentis, iuxta definitionem syllogismi traditam ab Aristotele I. Priorum analyticæ. *Syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis, aliud quid ab his qua posita sunt, necessariò sequitur, eò quod hæc sunt.* Nota, eò quod hæc sunt, id est, ut connexionis veritatis illorum, cum veritate eius quod sequitur. Quare non sufficit cognitio antecedentis materialiter tantum considerati. Esse autè antecedens formaliter, est esse connexum, ut bonæ illationis cum consequente: & cognosci ut antecedens formaliter, est cognosci esse ita connexum. Sic ut aliquis ex multà ordinatione inferat Deum esse, debet assumere aliud principium, quod tantus ordo non possit esse nisi à Deo: & cognoscere necessariam connexionem vniuersi quod principij cum Dei existentia. In omni autè discursu formalis & successiuo sunt plures actus circa antecedens & consequens. Sed non cognoscitur perfectè antecedens, ut vim habens inferendi conclusionem, nisi cognoscatur ut connexum cum illa, ita ut ex illius veritate sequatur necessariò veritas conclusionis.

35. Contra secundam, dico similiter solum materiale signi non esse medium totum, & causam sufficientem ad excitandam cognitionem rei significatæ. Nisi enim cognoscatur institutio, & valor characterum, ut g. non excitabit. Debet ergo necessariò cognosci ut institutum, id est, ut signum formaliter. Est enim signum ex instituto formaliter per institutionem, seu impositionem ad significandum id quod significat, quæ institutio non cognoscitur sine re significata.

Ad tertiam probationem, Respondeo id quod est medium rationale priùs præcognitum in intellectu superius explicato, esse tale formaliter per hoc quod est alteri causa ut cognoscatur, tanquam formale propter quod istud cognoscitur. Neque propterea vnus cognitio est prior, quam cognitio alterius: sed eadem cognitio indiuisibiliter re & ratione, cedit in vtrumque in vnum, ut formale in alterum, ut materiale. In vnum directè & per se cognitum: in alterum, non per se, sed per, & propter aliud, cui connexum est.

36. Ad alterum argumentum de relatis, Respondeo axioma illud, Relata sunt simul natura & cognitione, esse intelligendum de relatis categoricis, quorum neutrum est alterius causa, & simul tempore sunt, simulque necessariò cognoscuntur, id est, sine

Notitia
discursiva
tendit in
diuisibili-
ter in ante-
cedens &
consequens.

35.
Solum ma-
teriale an-
tecedentis
non est
totum
medium
cognoscens
consequens.

36.
Nec mate-
riale signi
ad cognoscendam
rem significatam.

37.
Relata et-
regocia
sunt simul
natura &
cognitio-
ne.

primitate saltem, in quo, quia neutrum potest sine altero cognosci: sed debent necessariò cognosci conceptu comparatiuo, cadente in utrumque, si cognoscuntur vt relata. At verò ex relatis transcendentalibus vnum potest esse naturá prius altero, vt causa, effectus: actio, terminò: materia, formis ex ipsa eductis. Imò & prius tempore: quia non coexistunt necessariò. Relatio autem cognitionis ad obiectum, quæcunque illa in Deo sit, est transcendentalis, vt docent Magister Sentent. Alenfis, Albertus, S. Thom. S. Bonavent. Henricus, Scotus, Aureol. Marfil. Richard. Gabr. Chartus. Capreol. Ferrar. Caiet. Molin. Valq. quos citat & sequitur Didacus Ruis disp. 5. de sciétia Dei sect. 2. num. 8. & disp. 10. sect. 4. num. 10. quibus adde Defalas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 4. n. 45. & Albertin. in coroll. princip. 1. coroll. 4. q. 4. num. 10. Multoque magis potest vnum ex relatis transcendentalibus esse alteri medium cognitionis: quatenus potest per se obijci intellectui, & trahere alterum in cognitionem intellectus, vt materiale per ipsum cognoscibile: Quod pacto Beati habentes omnipotentiam Dei sibi presentem, & per se determinanter intellectum instructum lumine gloriæ ad sui cognitionem, cognoscunt per illam possibilis, ita vt omnipotentia sit causa, & motuum formale cognoscendi possibilis.

38. Dico secundò Adversarios in sua prima & tertia assertione id ipsum docere quod dicimus, cum aiunt Deum cognoscere creaturas in sua essentia vt perfectè imitabili à creaturis: vel in seipso vt directè cognito, & per se determinante ad notitiam creaturarum velut sibi conexum: ac vice versa posse seipsum cognoscere in creaturis directè cognitis, quæ dent illi sui ipsius notitiam, id est, quæ sint illi occasio cognoscendi seipsum, ob dependentiam creaturæ à se, notitiæ æquivalente huic propositioni, *Ista creatura me indiget.* Nam per huiusmodi cognitiones non cognoscuntur Deus & creatura, vel Deus in creaturis, aut creatura in Deo, simplici intuitu qui directè & immediatè feratur in utrumque: sicut multi colores videntur vno intuitu directè & immediatè in tabula picta, quando simul tota cernitur: sed vnum cognoscitur directè & per se, alterum tantum per illud. Vnum per se determinat intellectum, & est alteri ratio & occasio vt cognoscatur: alterum tantum attingitur vt conexum cum illo, trahente simul ipsum in cognitionem: ad eum modum quo quis visa imagine, cognoscit Regem per imaginem, determinatus ab imagine per seipsum immediatè visui occurrente, & mouente ad sui cognitionem: non autem à Rege, qui non est præseps aspectui, neque per se immediatè illi occurrat, aut determinat ad sui cognitionem.

39. Sed falluntur primò, cum negant hoc non esse cognoscere mediatè, seu per aliud tantum medium præcognitum. Nam quicquid est alteri causa vel ratio & occasio vt cognoscatur, est illi in medium vt cognoscatur. Et si se habet vt motuum & obiectum formale, est medium præcognitum, id est, obiectum quod per se directè cognitum, est alteri causa vel ratio vt cognoscatur, determinatque intellectum ad illius cognitionem.

Falluntur secundò, si putant notitiam illam, quæ Deus cognoscit creaturas in sua essentia vt imperfectè imitabili à creaturis, vel seipsum in creaturis vt à se dependentibus, posse distingui in duos conceptus, quorum vnus præcisè sistat in Deo, vel in creaturis. Nam impossibile est cognitionem istam quæ Deus cognoscit suam essentiam vt imitabilem à creaturis, vel creaturas vt à se dependentes, non cadere indiuisibiliter re & ratione in Deum & creaturas: æquè ac impossibile est cognitionem essentia diuinæ prout est cognitio possibilium, non tendere indiuisibiliter re & ratione in ipsa possibilis.

40. Falluntur tertio, si putant sufficere ad prædictas cognitiones Dei in creaturis, vel creaturarum in Deo, cognosci essentiam imitabilem materialiter, id est, essentiam quæ est imitabilis: & non formalem, quæ enus est imitabilis: vel cognosci creaturas quæ dependent, sed non quæ dependent. Nam vnum non est alteri causa vel ratio vt cognoscatur, nisi vt conexum cum illo, & propter connexionem. Propter illam enim trahit secum alterum in cognitionem. Non trahit autem, neque intellectum mouet, nisi vt medium cognitum: ergo debet cognosci vt conexum. Ergo vt creaturas cognoscantur in Dei essentia vt imitabili ad ipsas, debet essentia cognosci vt imitabilis. Et vt Deus cognoscatur in creaturis à se dependentibus, propter huiusmodi dependentiam & indigentiam: debent cognosci vt indigentes & dependentes.

41. Quarto, falluntur quoque si putant solum decretum Dei de se incarnando posse ipsi esse medium sufficiens in quo videat Incarnationem esse futuram, præseindendo ab eo quod notat suum decretum esse infallibile, & à nullo violari posse. Nam præcisa hac secunda cognitione de infallibilitate decreti, non videtur connexio infallibilis, & necessaria Incarnationis cum decreto. Quare intellectus diuinus non habet quo sufficienter determinetur ad iudicandum Incarnationem esse futuram. Cætera quæ obijciunt, nobis non obsunt, & procedunt ex falsâ imaginatione, quod debeant in ordine cognitione mediata esse duæ notitiæ re vel ratione distinctæ & separabiles, quarum vna sit causa alterius. Quod supra refutauimus.

Relatum
transcenden-
tale
potest esse
prius natu-
ra & tem-
pore, corre-
lato.

Ruis.

Salas.

Albertin.

Multoque
magis po-
test illi esse
medium
cognitio-
nis.

38.

36.

37.